

culo II. floruit, in dialogo cum TRYPHONE Iudaeo asserentis: *ne unum quidem esse hominum genus, siue barbarorum, siue graecorum, et quocunque tandem nomine vocentur, apud quos preces et gratiarum actiones per nomen IESV non fierent.* Sed haec rhetorice magis quam historice dicta quilibet me tacente facile colliget. Clarius est *tertio* testimonium TERTULLIANI qui circa finem saeculi II. floruit. Hic enim libro contra Iudaeos c. 7. amplum retexendo catalogum earum gentium, quae Christo ea aetate nomen iam dederant, in illis Sarmatas, Scythas et Dacos quoque reponit. Sed et hic S. pater saepiuscule plus iusto rhetoricari consuevit. Hoc tamen duplex testimonium patrum admitti potest, propter testimonium Pauli quod ab his illustratur. Praeterea etiam saeculo hoc II. allegari solet quoque testimonium AGAPETHI I.

§. 4.

Sic etiam ad Saeculum III. parum certi quoad tempus dici potest. Obseruanda tamen testimonia sunt, quae habentur. PHILOSTORGI nimirum in historia ecclesiastica l. II. c. 5. scribentis: *Scythas b. e. Gothos transistranos et Pannoniae finibus tunc degentes in solum Romanum transcendisse, omnibus longe lateque vastantibus, nonnullos quoque Clericos cum magna praeda domum reportasse, plebem adhaec piam, b. e. christianam captiuam cum barbaris conuersantem, non paucos eorum ad pietatem perduxisse, effecisseque ut christianam fidem amplecterentur.* Factum id imperante VALERIANO et GALLIENO est. Adnotandum *secundo*, quod in Decretis CORNELII Papae qui sub medium Saeculi III. floruit, mentio fiat; DONATI episcopi Cibalorum in hodierna Bosnia, SECVNDINI episcopi Carporum, CRESCENTIS episcopi Curtensis. Curtam vero LAZIVS interpretatur Strigonium.*

§. 6.

* Vid. LAZIVM in tractat. de republica romanorum p. 940 — 949 — 954.